PERENNI FAMÆ
AC
MERITIS
NOBILISSIMI EXCELLENTISSIMI
DOCTISSIMIQUE
DOMINI
M. JOANNIS SARTORII,
ILLUSTRIS ATHENÆI GEDANENSIS
ELOQVENT. ET POËS. PROF. PERCELEBRIS
AVUNCULI SUI DESIDERATISSIMI
A. R. S. M.DCC.XXIX. D. 27. MARTII
REBUS HUMANIS EXSOLUTI
L. Q. M.
PROPERANTE CRENA SUBMISIT
IAC. ZABLERUS.

THORUNII
Impressit Ioh. Nicolai NOBILIS: SENAT: & GYMN: Typographus.

DUlce qvidem natale ſolum eſt, ubi carpere primum
Vitales auras licuit, cœloqve fruiſci.
Qvin duce natura, qva primum repſimus ora,
Hanc colimus, cupimusq; mori, licet horrida ſentes
Biſtoniasqve nives toleret, vel Caucaſus aſper
Immineat, Tanaisqve agros involvat arenis.
Hinc Ithacus pulcrae illecebras ſuperare Calypſus
Suſtinuit, pelagi variis erroribus actus,
Hoc unum exoptans, patriis ut cernere fumum
A laribus poſſet, caſtumqve ſubire cubile.
Hinc Ponto Scythico doctas Anacharſis Athenas
Poſthabuit, minus eſſe ratus ſub ſidere paſci
Cecropis, aut perfundi Hyblaeo nectare pectus,
Qvam propius pigros oculis luſtrare Trionas,
Legibus & ſanctis cives formare feroces.
Nempe infixa hæret pietas nutricis, alumnum
Prima ſinu qvæ fovit, & ubera præbuit, unde
Triſtius exilio poterat nihil eſſe Qviriti.
Senſiſti hoc Naſo, Geticum damnatus ad axem,
Et tu Cyrnæis ſcopulis qvem Corduba luxit
Hærentem, non panis ubi, non ultimus ignis.
Attamen & patriam & naturam vincere virtus
Condidicit, qvoties alio ſub Sole neceſſe eſt
Degere, & aſſvetos opus eiurare penates.
Qvid mirum? ipſa ſibi locuples, ſibi ſufficit una,
Ipſa ſibi templum divinasqve exſtruit aras;
Dumqve alii ſtatuas ac mœnia magna Qvirini
Præoptant, claramque Rhodon bimaremue Corinthum;
Dotibus illa ſuis præcelſa palatia format
Syrtibus in mediis, invictasque extruit arces.
Vivit enim ingenio, vegetum trahit undique ſuccum,
Omniaque in proprium cogit tranſire colorem.
Hoc donum eſt Sophiæ. Libyæ non ſpernit arenas,
Non Thulen tremit ignivomam aut Rhodopeia ſaxa,
Mentis ubiqve vigor ſimilis; mapalia celſas
Tam generant animas, Aſcræaque rura poëtas,
Qvam ſi a regali vibretur culmine fulmen,
Romanoque ſatum iactet ſe Hortenſius orbe.
Qvid tamen impellit patriæ dimittere amorem?
Limina qvis mutare iubet, terrisque ſalutem
Credere diverſis? Nonnullos mitia fata,
Ingenium & virtus qvoties ſe tollit in altum,
Nec potis eſt caſula anguſta vel ceſpite claudi,
Ad faſces & ſceptra vocant, ac ſumma repandunt.
Ac veluti tumidus ſepteno gurgite Nilus,
Non qvibus exoritur ſtagnis, ſe condit iiſdem,
Sed curſu Æthiopum calidas emenſus arenas,
Ripæqve impatiens, Phariæ telluris in arva
Præpingvem limum ac genitales evomit undas:
Sic fortes animæ haud una regione tenentur,
Nec patriam eſſe putant, natis ubi primitus auram
Infudit natura parens: qva diditur orbis

Maximus

Maximus, hac iter inſtituunt virtutis amore,
Omnibus ex æqvo faciles ſua dona miniſtrant,
Palladiaſqve artes laxato pectore fundunt.
Aſt alios Parcæ immites caſusque maligni
Sedibus eiiciunt patriis, ac turbinis inſtar
Raptatos, ægre eripiunt ſpumantibus undis,
Sæpe hoc Pannoniis fatorum lege perenni
Accidit. hic Helicon etiam & Parnaſſia rupes
Eminuit quondam. hic largo ſua munera cornu
Effudit Sophie, ſeu quis myſteria vellet
Noſcere divinæ fidei ſeu ciuica iura,
Regibus & priſcis placitas defendere leges;
Sive per annales ire, atque euoluere caſus
Bellorum, regum ſeriem, vel Martia gentis
Ingenia; aut gremio latus quas Carpatus herbas
Et quos Veſta fouet flores in valle reducta,
Queis ſi pellendis morbis Epidauria proles
Fors uti cupiat, nunquam natura negavit.
At nunc Pannoniæ doctæ Permeſſidos unda
Rara fluit, caput obſcura ferrugine Pindus
Contegit, ac triſtem minitantur ſecula noctem.
Namque ubi relligio, curis & ſanguine parta,
Excuſſa eſt animis, cœpitque anguſtior ire,
Flosque virum horrenda Libitinæ falce peremtus
Occubuit; paſſim Aonii decreſcere colles
Sunt viſi, infelix lolium pro molli hyacintho
Surgere, pro viola ſpinis paliurus acutis.
Sic quoties ruptis feruet fornacibus Aetna,
Saxa rapit liquefacta, igni calidaque favilla
Omnia permiſcet, villas ac mœnia celſa
Momento ſepelit, ſurgunt immania buſta,
Lætus ubi Zephyrus ſtillantes nectare pennas
Concuſſit, glebas pingueis vitesque feraces
Rore maritavit, vel pinxit meſſibus agros
Flava Ceres, aut irriguis Pomona viretis
Arboreas effudit opes; ſtant robora nuda,
Ereptosque ſibi ſubito mirantur honores.
Haut aliter, poſtquam ſenſerunt templa ruinam
Pannoniæ, hoc etiam caſu (res horrida viſu)
Subrutus eſt Helicon; ivit Fragopolis alma,
Ivit Caſſovia, & quæ Leucoris æmula Bartfa
Eminuit paribus ſtudiis, dilecta Luthero.
Latius inde malum ſerpſit, non flamma pepercit
Eduris Gepidis, non qua ruit unda Patiſſi,
Granusque umbroſus, vel regnat latior Iſter.
Omnia perdomuit non exorabile fatum.
Viderat Uranie ſtragem, cœloque reſpectans
Convocat extemplo natos, ac protinus infit:
Proh ſuperi, nova quæ facies ſuccedit Olympo!
Quæve hæc pernicies, quæ tanta licentia fati!
Cuncta etenim proſtrata jacent, quæ longius ævum
Vix firmata dedit. Clarias a culmine ſedes

Everſas video, poſtes a cardine velli,
Auratasque trabes devolvi, ac nobile regnum
Muſarum exſcindi. Sic olim viderat urbis
Fundamenta quati Æneas, emota tridenti
Tænario, atque ingens medios conſidere in ignes
Ilion, ut Phrygiæ complerant ſtamina Parcæ.
Ergo iterum de Tartareis emerſa tenebris
Horrida barbaries lucem miſcebit & umbras?
Ergo iterum incumbet craſſa ignorantia terris,
Et decus eripiet Muſis? ſine honore ſorores
Ibunt? & pietas, juſti tenor ibit, & audax
Omnia turbabit morum laſcivia, ſvave
Nil erit & ſanctum, nec erit niſi mortis imago.
Namque ubi deficiunt cognatæ Palladis certes,
Non eſt vita ſuper, ſed mens caligine preſſa
Interit, ac fama in tenues diſpergitur auras.
Quis tamen obſiſtat ſuperis? ſi pellere certum eſt
Orbe hoc Pieridas, plenisque inducere velis
Barbariem, monſtrum qua nullum triſtius unquam
Orcus alit; veniat, ſpoliet, graſſetur, Athenas
Pannonicas vertat, vaſtet, condatque favillis.
At vos chara deum ſoboles cœlique voluptas,
Quos blando fovi gremio, quos dotibus auxi
Ingenii, duræ neu jam ſuccumbite ſorti.
Nunc opus eſt firmare animos, opponere frontem,
Noſtrisque auguriis peregrinas quærere terras.
Ite, novercantem patriam quia linquere fas eſt:
Ite, alios ſoles, alias inquirite ſedes,
Eſt meritis ubi partus honos, ubi fama repoſta.
Si vitæ auxilium deſit, non aurea terræ
Pondera vel rutilos licet aſportare pyropos;
Aſt anni vegeti, vires, animique ſuperſunt,
Et virtus alimenta dabit; vel numine fretis
Uraniæ latos reſerabit Gloria poſtes.
Ne tamen ablegem vacuos, age Svada-medulla,
Tu Sophie, Hiſtoria, natos comitabere noſtros.
Ferte gradum genii pariter, queis cura Pelaſgæ
Atque Palæſtinæ ceſſit provincia lingvæ.
Huc adſis Pimplea, Phyſis, radiosque Matheſis
Ducere conſveta: exulibus defendite noſtris
Pauperiem, ac regum celſas immittite in aulas.
Ite ergo erectis animis, ac paſſibus æquis,
Qua vos fata vocant, ad amicos tendite portus.
Tempus erit, cum barbariae aſpera vincula rumpam,
Ac natos reddam patriæ, ſvetisque locabo
Sedibus, aut aſtris ſtatuam faciamque notari.
Dixerat: Aonii firmato pectore fratres
Aſſenſere deæ; conclamant vaſa paternis
Ituri laribus, calcantque inſveta viarum.
Pars igitur Viadrum petiit Rhenumque bicornem;
Pars ad Curonas, Lygios, forteisque Boruſſos
Tendit iter; placuit aliis Dalemincia tellus,

Hos

Hos iterum excipiunt ſeptem vada ſalſa Trionum,
Qua celebre Hamburgum ſurgit pulcrumque Gedanum;
Illos Helvetii duri ditesque Batavi
Ad ſua caſtra vocant ac vitæ munera ſpondent.
Sic ivere viri, fuerat queis plenior ætas,
Permiſtusque viris ibat SARTORIUS arduo
Pectore, ſpe ſua damna levans, atque auſpice ſpondens
Uranie meliora ſibi. quo iunior annis,
Celſior hoc animo, vicitque obſtantia virtus.
Quos non ille lares Muſarum inviſit, & orbe
Quæſivit vario doctrinæ alimenta, Sophie
Poſtquam adytis patriæ exceſſit vacuamque reliquit!
Nam velut Aſſyrios Samius quæſiverat exul,
Memphitasque Platon adiit, Tyaneus Iarcham
Indum tentavit, doctasque effecit Athenas:
Sic, ut doctrinæ latices haurire profunda
Mente foret facile, haud unum conſcendere Pindum
Complacuit Noſtro Stadium SARTORIUS unum
Tubingæ eſt emenſus, amœnaque præpete curſu
Prata pererravit Muſarum, herbasque ſalubreis
Cura diſtinxit vigili & collegit eundo.
Leucoris hinc aliud monſtraverat, optima nutrix
Ingenii, fœcunda viris, felixque docendo.
Quantam hic noſcendi ſegetem, quam nobile mentis
Repperit emporium! magni mens dia CALOVJ
Nempe ſuperfuerat, meruit quo vindice regnum
Vivere Theilogiæ, ac validis inhibere lupatis
Præfractos animos, inimicave frangere tela.
Poſt hunc QVENSTEDIVS pleno diffundere cornu
Svetus erat ſacras cupidisque exponere merces.
Enthea MEISNERI ſubtiles ſtringere nexus
Condocuit virtus, arcanos ſolvere nodos,
Rimari verum, tenebrisque affundere lucem.
At tu Rabbinici cœli clariſſima ſtella,
DASSOVI, perplexa dabas myſteria noſſe
Sublimis Solymæ, ſeu vatum evolvere fontes,
Seu Miſchnæ placuit limoſa inquirere ſtagna.
Quid memorem heroas alios, qui grande tonare
Pro Roſtris ſcivere ſacris, quibus ore diſerto
Roma loqui dederat, Grajæ facundia lingvæ
Fecerat eniti, Sophocleoque ire cothurno.
Quid, quorum in labris conſedit Daulias ales,
Carmine qui tacitas mulcere, impellere ſylvas
Et doctum poterant quoque ſollicitare Maronem;
Naturæ qui jura docent, arcana reſolvunt;
Regnorum qui deinde vices ac tempora pandunt;
Qui verum a falſo Logica monſtrante magiſtra
Diſcernunt, ne qua obrepat fallacia menti.
Hos omnes audiitque lubens, & ab ore pependit
Mens alto cognata polo; nihil illa reliquit
Intactum, quo mortales conſurgere poſſent.
Iugiter ergo animum plenis SARTORIVS undis

Proluit Aonidum, meritus cui præmia doctæ
Frontis Apollineam properaret nectere laurum
Leucoris alma, pares paucos quia ſenſit alumnos.
Felices animæ, queis tali ſidere naſci
Contigit! his promtis animis ſua dona recludunt
Parnaſſi proceres, ſcribunt in floribus Horæ
Aureolum nomen, mittuntque in ſecula famam.
Quid mirum eſt, Noſter variis ſi innotuit oris?
Iamque invitabat regnatrix Svecia, miſſa
Leucore ferre gradum ad Borean Gothicasque pruinas,
Ingenio gaviſa viri, fruituraque mentis
Sidereis opibus: ſtellam hanc fortiſſime PONTE
Orbi Pruſſiaco ſubducere nempe ſedebat.
Viſtula prævenit, migrantis Viſtula mater
Pannoniæ, felix retulit Thorunia palmam,
Accepitque virum, quo non præſtantior alter,
Non et dexterior pro majeſtate Quirini
Mulcere eloquio, & doctum formare Lyceum.
Hoc igitur ductore piæ caluere Camœnæ:
Ac merito: doctrina ingens ſpeciesque decora
Illi erat, obtutu ut ſolo convertere poſſet,
Et magnos animare viros, ac flectere corda.
Tum ſubito undarunt numeroſa Palladis arces
Pube, nec invidit Numen ſucceſſibus amplis.
Qua namque Arctous ſpatioſo tenditur axis
Limite, convolitans pubes generoſa penates
Venerat ad Clarios, ac Muſis ditior ibat.
Fluviorum rex Pannoniæ ſua miſerat Iſter
Pignora, nec Viadrus pulcra incrementa negarat.
Sic cum delphini dorſo Leſbous Arion
Dulce melos pelagi mediis tinniret in undis.
Plurima cantantem vatem eſt comitata balæna;
Stat Proteus Glaucusque gradu non mobilis uno;
Arridet Galatea, vocat Melicerta ſorores;
Saltant Nereides, Phocæ toto æquore currunt.
Nempe uti facundo prædixit Tullius ore,
Sicubi Magnatesque favent ſtudiisque tenentur.
Si non avertunt animum, aut nigrantibus antris
Divitias abdunt, omni & dignantur honore
Aonidas; tunc magna Helicon capit incrementa,
Tunc animi occultas vires & pabula dia
Concipiunt, ſudant, alacres nituntur in altum,
Ut ſtadio emenſo capiant inſigne brabeum.
Sed non Thoruni vitam SARTORIDE natus
Claudere debebat, traxitque Elbinga volentem.]
Neſcit enim virtus claudi, ſed ſolis ad inſtar
Iam nigros videt Æthiopas Nabatæaque regna,
Iam latus Heſperium illuſtrat, propiorque Bootæ
Cimmerias potis eſt radiis abſtergere nocteis.
Hic etiam ſolers ivit qno tramite cœpit
Muſagetes: ſervata fides, morumque recepta
Eſt gravitas, curæ vigiles, induſtria ſumma.

Devin-

Devinctos igitur Patres pubemque ſequacem
Senſerat Elbingæ, aſt Numen majora parabat
Præmia. nempe apicem famæ ſortisque ſecundæ
Ceſſit Athenæum Noſtro prælustre Gedani,
Elegitque ducem juvenum mens alta Senatus.
Felix judicii! majori murmure labi
Pegaſides cœpere undæ, camposque rigare.
Ergo Arpinatis ſvada eloquiumque revixit,
Virgiliique rediit gravitas. Stupuere pöeſin
Teutonie, Latium, nec habebat Liliger orbis,
Carpere quod poſſet vel caſtigare Batavus.
Hic alii enarrent, veteres quam calluit artes,
Cecropiæ quantum tenuit ſecreta ſenectæ;
Quid Natura illi, Lunæ quid debeat Iris.
Qui ſacri veterum calices, meletemata ſacra
Quam placeant doctis cum relligione Philippi,
Quæ ſint Iuſtini mendacia, qui decimati
Olim caſtrenſes fuerint, quid Principe dignum,
Qui Majeſtatis fines, quæ incendia montis
Ætnæi; ſtatuis, nummis quam turpiter uſi
Sint veteres, numne arma togæ vel claſſica cedant.]
Nam mihi Pierias laſſant encomia vires
Multa Senis, rerumque immanis copia verſat,
Unum hoc qui taceam, quanto molimine vivos
Præſtiterit veteres Noſter Latioque locarit.
Hos pridem Hardvinus valido conciderat ictu,
Eripuitque domos, ut iam neque Roma Catonem
Noſceret eſſe ſuum, nec diceret eſſe Quiritem
Lucanum vel Virgilium cultumque Tibullum.
Hos omneisque alios SARTORI vivida virtus
Hardvino extorſit, juſſit ſua regna tenere.
Fortunate Senex! fuerat vis ignea mentis,
Ardua rimari facilis, detergere fucum,
Ut Te ſuſpicerent omnes, Tua ſcripta placerent
Omnibus, ac poſſes liquidam contingere famam.
Tantum nempe valet, qua ſis regione locove;
Altius evehitur virtus, quo illuſtrior urbis
Eſt facies, vexant ubi nulla opprobria ſortis.
Tu pariter felix fortunatumque Gedanum,
Cui ſuperi ingenuas animas variamque Minervam
Sufficiunt! nemo Sparta hac inglorius exit,
Et nemo anguſtis laribus ſine honore ſeneſcit.
Urbe hac conſenuit vitæ ſatur atque laborum;
Amplius & poterat Noſter protendere vitam,
Ni luctus fregiſſet eum. ſpes unica vitæ,
Curarum ſolamen abiit, fulcrumque ſenectæ
Mors inopina rapit, quod jam ſpondebat alumnus,
Artibus excultus ſacris atque additus aris.
Illi Patris erat facies doctrinaque compar,
Hyblæis vox mixta favis, moresque pudici.
Abdita rimari ſolito, verſare libellos

Noctes

Noctes atque dies fuit una & ſola voluptas.
Hinc raras collegit opes indagine mentis,
Quæve alii ſparſim tenuere, hic firmiter uno
Pectore ſervabat. ſæpe ſtupuere magiſtri,
Miratusque Pater tacitus ſua gaudia ſenſit.
At ſubito ereptus Patri immedicabile vulnus
Attulit, ut quamvis planctus non eſſet apertus,
Non (matres quod agunt) quidquam muliebre ſonaret,
Attamen intra animum gemeret,ſua fata doleret.
Concidere hinc vires, totoque fatiſcere membra
Corpore, nec vegetus conſvetos ferre labores
Spiritus. in nato vixit jacuitque peremto.
Uranie miſerata Senem, diſſolvere vincla
Inſtituit. luxere Patres, gemuitque Lyceum.
Ille poli certus, firmata mente$ valere
Uxorem Natamque jubet, tunc infit amicis:
Parcite vos lacrumis! pulcrum eſt vixiſſe decenter,
Providiſſe ſuis, ſtudiis ornaſſe Iuventam.
Iam ſuperas ſedes repetam Natumque reviſam,
Vivam viſurus faciem. Vos gnaviter olim
Accelerate gradum, quando hac tellure beatum
Eſt nihil, & mundi prætendunt gaudia morſus.
Macte tuis animis Gedanum! namque altera mater
Tu mihi nuper eras: opto, Tibi munere divum
Relligionis honor, leges, ac provida Patrum
Cura ſuperſtes eat, ſedes æterna Minervæ
Permaneat, pubem doctæ pietatis amantem
Producat patriæ æternum volventibus annir.
Sic fatus, trepidum linquit SARTORIVS orbem.
Excipit Uranie, ac ſedem demonſtrat eunti,
Mille ubi perpetuam permiſcent ſidera lucem,
Rector ubi ſuperum mundum verſatque fovetque.
At neu deeſſet pietas, ſtat nobile ſignum,
Index ingenii, meritorum, actique laboris.
Marmoreus ſurgebat enim SARTORIVS, altum
Cœlum ſuſpiciens & calcans ludicra mundi.
Quatuor hanc ſpeciem validis ex more lacertis
Suſtentant Genii, vitamque & facta loquuntur,
Fama baſi extrema lugens encomia ſignat:
Hic Arpinatis genius latet atque Maronis,
Quo duce, quid Latium valeat, ſenſere Boruſſi.
Majeſtas ſimilem exoptat Romana, Iuventus
Dantiſcana gemit: ſed fruſtra ſecula ſperant,
Nec niſi poſt multas Phœnix prodibit ariſtas.
Iamque Senex Venerande vale! reverentia famæ
Addere plura vetat, Pieriſque dolore fatiſcit.
Interea, quando præcelſo ab ſidere ſpectas
Res hominum, conſtabit honos nomenque manebit,
Dum pretium ſtatuet ſtudiis Illuſtre GEDANUM.